

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Atlas minor Gerardi Mercatoris

Mercator, Gerhard

Amsterodami, 1610

Orbis terrae

[urn:nbn:de:bsz:31-118360](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-118360)

ORBIS TERRAE

TYPVS.

CVM ex naturę necessitate ordo semper requirat generalia particularibus antepone-
re, totumque parti, ad maiorem oblatę rei intelligentiam: hac eadem & ego devinctus lege huic primo
nostrę Geographię ac Septentrionalium terrarum tomo, universalem Orbis terrę ty-
pum, ejusque quatuor partes, Europam, Africam, Asiam & Americam, quò scilicet rem
prosequar, præponere debui: & singulis quoque deinceps tomis consequentibus, ut is eti-
am perfectum semper habeat opus, ac totius universi descriptionem, nec hac utili specula-
tione privetur, qui vel suę tantum patrię delineationem sibi comparaverit. Iucunda eti-
nim est & maximopere necessaria generalium contemplatio, ei qui vel minimam Mundi & naturalium rerum
cognitionem habere cupit. Si enim libeat considerare, quis Solis ortus vel occasus, quę causa ætatis vel hye-
mis, unde inæqualitas dierum & noctium existat: quid denique & quo in loco natum, propagatum, actum,
gestum, mutatum & conversum jam inde à rerum conditarum primordio fuerit, id omne certè non aliunde me-
lius, quam ex harum quinque tabularum adjunctione sine omni periculo & honesta cum animi voluptate didice-
ris. Et quemadmodum nulli, quantumvis amplam habitationem nactus, sufficit perspectas habere suarum ædium
partes, ut sunt atrium, cella vinaria & penaria, culina, triclinium, cænaculum, cubiculum, conclave, musæum, quò
iis commodè uti possit: sed etiam in quâ urbis parte & platea, domus ejus sita sit, compertum ipsi esse necessariū
& commodum est, ut hunc cognoscat statim, si in civitate tumultus vel incendium oriatur, quam propè vel pro-
cul à periculo absit. Sic non minus jucundum vel necessarium nosse, quâ in Orbis parte habitet, quos populos
vicinos, aut remotiores habeas, ut grassantibus belli calamitatibus, quo metu, quæve animi tranquillitate uti liceat,
scire queas. Denique cum Cosmographia sit lumen totius tam ecclesiasticę quam politicę historie, & plus ex eâ
discat otiosus spectator, quam ex longo, molesto & sumptuoso labore peregrinator, qui crebrò cælum tantum, nò
autem animum mutat: parum utilitatis ex eâ capias, si tabulis particularibus generales non adjunxeris. Sunt au-
tem hæ generales Tabulę collectę ex magnâ Orbis terrę descriptione (cujus etiam initiū longitudinis, vel primi
meridiani positionem in singulis sequuti sumus) & ex magnâ Europâ meâ quas Duysburgi edidi. Tu interim
Lector vale & frue, ac hujus tuę habitationis ac tibi ad tempus tantum concessę gloriã cum Poëta Buchananò
diligenter considera, qui sic eam cœlestibus comparat, ut animos terrestribus ac rebus hęc caducis immerfos ex-
trahat, & ad altiora ac æterna viam ostendat.



Percipiat